

## De supinis Latinae linguae.

### P. III. \*)

#### Particula altera.

#### De supinis in tu finitis.

### Caput IX.

#### Quem locum supina altera in substantivorum in $\bar{t}us$ exeuntium numero teneant.

§. 60. **Supinum** prius, quod solis motum significantibus verbis adjungitur, quovis loco facile cognoscimus, alterum non item. Tam diversa est enim adjectivorum, quibuscum connectitur, significatio, tanta substantivorum in sexto casu hoc modo usurpatorum cum ejusdem declinationis substantivis, quae aliter ponuntur, similitudo, ut quae voculae in  $\bar{t}u$  terminatae supina sint, quae non sint, interdum haud facile decidas. Ita factum est, ut Sanctius in Minerva III. 8. p. 466, G. Vossius de Anal. III. 11, alii: *lectu* comperisti, in *promptu* esse aliaque ejusmodi in hoc numero haberent idque non omnino improbare Ruddimannus II, p. 260. 83. Loquor de vetustioribus grammaticis: nonne nostro tempore Rothius, vir doctissimus, in Exc. XIX. ad Taciti Agric. ablativos *jussu*, *concessu* (alicujus), al., vel *dispositu provisique* (civilium rerum peritus) supina esse voluit? <sup>158)</sup> Quae concta ut confunderent unoque nomine comprehenderent, hac re moti videntur, quod ea et in sexto potissimum casu et peculiari quodam modo usurpata esse intellexerant. At

\*) Pars II. proximo, pars I. superiore anno prodit.

158) Cautius Haasius ad Reisig. p. 598. haec: *adventu*, *discessu* etc. cum ad solum tempus denotandum adhibentur, *supina* — *substantiva* nominat.

si supinorum nomen, quod quamquam haud magni momenti esse intelligo, in artibus grammaticis quodammodo inveteravit, retinendum videtur, solis iis dandum puto, quibus dedisse probabile est veteres grammaticos. Horum igitur vestigia ingressus — cf. Priscian. VIII. 9. 48 Kr. v. supra §. 5 — illa tantum substantiva hujus terminationis in sexto casu posita, quae sint juneta cum adjectivis et paucis substantivis, ad eorum similitudinem accedentibus, supina appellanda esse censeo. Sed ex his quoque sunt quae incidant in ambiguitatem. Nam quamquam nemo dubitat, quin, ut ex magna copia perpauca eligam, in his: *a) difficile est dictu, pulchrum est auditu*, al. supina contineantur, non nemo dubitet, cum dicitur: *β) triste eventu, foedum exitu, grandis natu* etc., plurimi in hisce: *γ)* — vitium avaritiae — *quum sit triste habitu*: Juven. XIV. 110. — *servus is haud probus est habitu*: Plauti Stich. I. 2. 2; *incessu tardum, sensu hebetem*: Plin. H. N. IV. 7. 16. 17. (edit. Sillig.); *strepitu visuque jucundum*: Plin. Ep. V. 6. 23. — Nimirum in his (*γ*) substantivorum vulgari usu tritorum natura, non illa vis, quae ad infinitivorum rationem potest accomodari, manifesta est, quod quale sit, intelligemus, si illa substantiva vulgaria, eorum, quae omnium consensu supina sunt, modo posuerimus, ut *hoc malum est habitu* i. e. cum habetur, vel *tactu mala vipera*, vel, si hoc poni licet, quod dictum esse non videtur: *illud facile est sensu* h. e. ad sentiendum. Adde ea, quae aequo vel majore jure iis ablativis adnumerantur, quae ea, per quae res efficiuntur, significant. Jam quae proxima (*β*) posui, ea re ut dubitent, sintne in supinis numeranda, moveri videntur, quod verborum intransitivorum rarius est id genus. At alia eorum, quae transitivorum naturam induerunt, usurpantur, velut *pessimum aggressu; aditu, transitu, accessu facile vel difficile*, ad quorum analogiam referri licet Sallustianum *dubia nisu*, alia. — *Triste eventu* autem, *foedum exitu*, quis non videt, eodem modo dicta esse, quo *foedum factu* al. *Rarus egressu* quidem Tac. Ann. XV. 53. esset insolitum, si quod nonnullis placuit, passivam tantum vim alteri supino esse attribuendam probaretur<sup>159</sup>). Sed non probatur, nec Verg. Aen. I. 445: sic nam fore bello egregiam et *facilem victu* per saecula gentem v. §. 67. l. fin., — vel Statii Theb. XI. 103: *blandamque precatu* Antigenon timeo — vel Sall. fragm. inc. 70. Donat. ad Eunuch. IV. 17. 14: in proeliis *actu promptus* (Corrio astu) ab hoc genere sunt separanda. — Ut enim dicam, quod sentio, apertiusque, quod supra significavi, exponam, non modo illa: *exitu, eventu, alia* sed ne haec quidem: *aspectu jucunda, memoratu digna* etc. ratione quidquam habere videntur, quo a ceteris substantivis verbalibus aut pariter aut alio modo (in *io, ura*) cadentibus discernantur, ut eam solam proprii nominis causam fuisse arbitrer, quod quaedam hujus generis voculae admodum usitatae et hoc potissimum modo positae, veluti *dictu* (facile), *factu* (honestum) etc. a ceteris substantivis pariter terminatis sejungi placeret. Illud autem nomen esse videntur nacta propter eandem et etymologiam et declinationem supinorum, quae in tum cadunt, singulari appellatione multo digniorum; nisi forte, quae his etiam signi-

<sup>159</sup>) Aug. Lentzio assentior, in censura I. part. hujus commentationis, *Zeitschrift für Alterthumswissenschaft*, XIV. (a. 1856) p. 182, quod de gerundiis statuerit Madvigius, idem ad supina pertinere existimanti.

ficatione similia sunt, ut *cubito surgo*, jam antea id nomen occupatum cum illis dictu facile etc. communicaverunt, cf. §. 3.

§. 61. Complures enim causae sunt, cur supina altera multo minus propriam videantur habere indolem quam priora. Primum enim quum substantivorum illorum verbalium, quorum casus sunt supina in  $\bar{u}$  terminata, plurima etiam alio modo ponantur, ut ei ipsi dicendi generi vix tertia pars relinquatur soli: contra eorum substantivorum, quorum accusativi sunt supina in  $\bar{t}$  exeuntia, duplex fere numerus eo solo usu contineatur, ut nec quartus alio modo nec omnino alius casus sit usurpatus: haud scio an quodammodo efficiatur, illa a ceteris ejusdem terminationis substantivis vel nihil vel non multum differre, his inesse quiddam praecipuum, quod a reliquorum vocabulorum pariter exeuntiam multitudine secernat.

A.  $\alpha$ . Substantiva verbalia non usurpata nisi supinorum, quae vocantur posteriora, habitu sunt fere XXV.: *concoctu*, *decussu*, *defensu*, *depromtu*, *enarratu*, *existimatu*, *expurgatu*, *imitatu*, *impetratu*, *inquisitu*, *iteratu*, *migratu*, *moderatu*, *notatu*, *perpessu*, (*perspectu*), *portatu*, *probatu*, *rescriptu*, *scitu*, *vitalu*. Primum solusque Appulejus posuit: *compertu*, *dedicatu*, *compositu*. Suus his omnibus locus in lexicis, quae vocantur, vel maxime debetur.

$\beta$ . Proxima sunt ab extremae demum aetatis scriptoribus ad alium usum depromta: *aggressu* perierit Ulpian. Dig. (rerum *a—um* Firm.), populorum *cognitu* Appul. — referre *dictum dictui* S. Aurel. Epit. 14. med; *dictu* et *factu* Isochrysus in Orelli Inscr. 1573. — pietatis *intuitu* in Digest. — *incredibili mutatu* Tertall., facillimo *prolatu* id., ex *pronunciatu* Gell.; *toleratu* humano Salvian.

$\gamma$ . Sequuntur ea, quorum a supinorum ratione discedit significatio: *actus* Ennius<sup>160</sup>), *captus* Terent., *cultus* Plaut., *habitus* id. *translatus* = pompa ap. Val. Max. et Senecam.

$\delta$ . In ablativo modo sed non eo solo posita, qui supinorum est proprius, haec sunt: *attactu* nullo Verg., *cognitu*, cf. supra  $\beta$ ., *concessu* alicujus Cic. Caes.<sup>161</sup>) meo *datu*  $\alpha\pi$ . *leg.* Plaut., *intuitu* cf. supra  $\beta$ ., earum *inventu* Plauti Merc. V. 2. 6. (adde lex.), *mutatu* cf. supra  $\beta$ ., hujus *persuasu* Cic.<sup>162</sup>), *prolatu* cf. supra  $\beta$ ., in *promtu* esse Ennius, Plaut. *pronunciatu* cf. supra  $\beta$ ., *purgatu* nunc scribitur Cic. N. D. II. 50. §. 126; *quaesitu* cognitus Plin. H. N., *toleratu* cf. supra  $\beta$ ., *tritu* Cic.

$\epsilon$ . Haec denique apud scriptores, qui dicuntur classici, non in ablativo solo collocata sunt: *accessus* Varro, Cic. *adactus* acc. Lucr. — *aditus* (aditio jam Plaut.) Cato ap. Prise. III. 1. §. 5. Kr., *adscensus* Cic., Caes., *adspectus* Plaut., *affatus* (nom. pl.) Varro L. L. V. 65, *auditus* Varro, Cic. — *collectus* Lucr. IV. 414. Laehm. *conatus* Ter. — *conspetus* Ennius, Plaut. — *contactus* Sall. hist. I. 19, *cubitus* Plauti Amph. V. I. 70. Scal. — *digestus* Statii Silv. III. 3. 87. — *effectus* Varro, Cic. — *egressus* Cic. Sall. Caes., *esui* in hoc tantum casu Novius Com. 13. Ribb.

160) Scriptores, quos indico, primi ea, de quibus dicitur, vocabula posuerunt.

161) Perperam scribitur bell. Hisp. 25: propter equitum *concessum*.

162) Praeterea non invenitur nisi in argum. I. Plauti Epidici.

IV. 170. 9, Varro. R. I. 60. — *eventus* Plaut. — *Factus*. Praeter Caton. R. 67, qui accus. plur. vi translata usus est (Oelpresse) in lex. affertur dubius loc. Varron. Addo inser. Orell. 1573 (factu). — *Fatus* Petron. *flatus* Varro, Cic., *fletus* Enn. — *fotus* abl. sing. Plin. H. N., plur. posterior. scr. — *fructus* Plaut. *gestatus* Acc. Plin. H. N., *gustatus* Cic., *haustus* Cic. Lucr. — *ictus* Plaut. — *inceptus* Acc. Val. Flacc. (apud Livium script. est incerta v. Fabri ad 24. 19, 6, item apud Nepotem). — *intellectus* Vell., *jactus* Plaut., *memoratus* sunt Plauti Bacch. I. 1. 28, (missus Enn.), *monitus* Cic. (abl. sing.), *nisus* Pacuv. *obsonatus* (acc. sing.), Plauti Truc. IV. 2. 27; *occursus* Liv. *opinatus* acc. Lucr. — *perflatus* Cels. Colum. — *perspectus* Lucan. v. Hudem. in lex. Klotz. — *petitus* Lucr. III. 173. — *precatus* Stat. — *relatus* (Acc. et Abl. sing.) Tac. — *responsus* Vitruv. — *strepitus* Enn. *suasus* Plaut. Pers. IV. 4. 58. (abl. sing.), Ter. *suasum*. — *tactus* Cic. Lucr., *textus* Lucr., *tractatus* Cic., *transitus* Cic. Varro Caes., *usus* Plaut., *venatus* Plaut. — *victus* id., *visus* Varro, Cic.

B. Supinorum in tum exeuntium in hac quoque re alia est ratio. Nam plura quam quinquaginta in quarto tantum casu idque post verba movendi collocata sunt, ut *accusatum*, *aestivatum* ceteraque §. 15. allata his exceptis: *accitu* Cic., *accubitus* Varro (sic), Stat. in abl., *actus* Enn., *adhortatu* Appul., *adjutu* Macr., *admissum*, u, Veget. Pallad., *admonitu* Cic., *arcessitu* Plaut., *ambulatam* Arnob., *attractu* Dictys., *attractu* Pacuv., *auctu* Varro, Lucr., *aucupatus* Accus. Capit., *auditus* cf. A. ε., *auxiliatum* Lucr., *cantus* Liv. Andr. — *captu* Ter. *cibatus* Plaut. *cognitu* Appul. — *concessus* Cic. *conductu* Cael. Aurel. — *confabulatu* Sidon. *consultus* Isidor. — *conventus* Liv. Andr. — *datu* Plaut. — *dejectu* Liv. — *derisus* Phaedr. Quintil. — *direptu* fuit Spartian; *discubitu* Val. Max: *ductu* Plaut.; *efflagitatu* Cic., *esui* cf. A. ε., — *excubitu* Auct. belli Hisp. — *exemptus* accus. Vitruv; *expiatum* Tertull., in *exsulatum* Messal. Corv., *factus* cf. A. ε. — *habitus* Plaut. *haustus* v. A. ε., *ictus* Plaut., *inventu* Plin. Maj. *irrisui*, — u Caes. Tac., *locutu* Appul., *lusus* Horat. Ovid. Colum. — *mercatus* Plaut. — *mictus* (etiam genet.) Cael. Aurel. — *motus* Attius; *natatus* Accus. Stat., *nominatus* Varro, *nuptui*, *nuptum* Stat., in *obsonatum* Plaut.; *occupatu* Claud. Mam. *opitulatu* Fulgent., *oratu* Cic., *ornatu* Plaut. Cato; *pastus* Varro, Cic. *petitus* Lucr., *piscatus* Plaut., *ploratus* Cic., *possessu* Appul., *postulatu* Liv., *potatui* Appul., *potus* Cic., *precatus* Stat., *projectu* Lucr., *prolatu* Tertull., *purgatu* Cic.; *quaesitu* Plin. H. N., *questus* Attius ap. Cic. Tusc. II. 7. *raptus* Cic., Catull. 68, 87, *receptus* Cic. Sall. Caes., *rejectu* Hygin., *relictui* Gell., *repulsus* Cic. Lucr. — *risus* Ennius, Plaut. *rogatu* Cic., *sacrificatui* Appul., *saltatu* Liv., *sedatu* Verg. gramm., *sessui* Appul., *suggestus* Cato, *traditu* Jul. Valer., *trajectus* Caes., *venatus* Plaut. (vulgatu Sidon). Multa ex his apud infimae demum aetatis scriptores inventa minoris sunt momenti.

§. 62. Sed haec hactenus. Multo gravior altera causa est in re ipsa sita. Etenim id discrimen inter utraque supina intercedit, quod accusativus, in quo alterum est positum, habet ille quidem analogiam, usu tamen simili parum firmatur: alterum autem non modo casus sexti natura sed etiam scriptorum usu et consuetudine solito dicendi generi convenit. Hoc duabus rebus intelligitur, ac primum quidem, quod alia substantiva, quae non sunt supina in eodem casu

posita eodem modo ex adjectivis pendent et nonnunquam cum ipsis supinis reperiuntur copulata.

A. Principio commemorandi sunt ii loci, in quibus

α. substantiva in *tus* exeuntia, quae vulgo in supinorum numero non habentur, vel de quibus dubitatur, cum iis, quae omnium consensu in hoc genere ponuntur, arte conjuncta sunt: Plin. Paneg. 48. 4: ipse occurso quoque visuque terribilis, superbia in fronte; Tac. Germ. 2: Germaniam — informem terris, asperam coelo, tristem cultu adspectuque. — Plin. H. N. II. 41. 110: stellae insignis — effectu visuque. Plin. Ep. V. 6. 23: piscina — strepitu visuque jucunda (cf. sonitu insuave Gell. XIII. 21. 25). — Liv. I. 39. 1: prodigium visu eventuque mirabile. —

β. eodem modo alia substantiva adduntur: Lucil. fr. 28. 39. N. spurcus: quaeque adspectu sunt spurca et odore; Liv. 31, 38, 4: id dictu quam re ut plerumque est facilius cf. 40, 35, 13. — Curt. IX. 2: auditu majora quam vero; Tac. Ann. I. 61: visuque et memoria deformes.

Omnia illa *occurso*, *strepitu*, *cultu*, *eventu*, quae ideo in supinorum numerum referri non solent, quod sunt substantiva pervulgata aliique usui perspicue patent, num ab his *visu*, *adspectu*, natura sua discrepare existimas? Num illa *odore*, *vero*, *re*, *memoria* ab *adspectu*, *auditu*, *dictu*, *visu* alia re differunt, quam originatione et declinatione?

B. Aliis locis altera alteris adjectivis subjecta sunt et una quidem continuatione. Cic. N. D. II. 9. 23: nihil ornatus adspectu motuque constantius, quocum confero: Lucret. VII. 1150: debilitate gravis, motu gravis. aspera tactu. — Liv. 35, 32, 13: consilia — tractatu dura, eventu tristia esse. Curt. V. 1. in.; speciosa dictu sed usu necessaria cf. Gell. XVI. 13, Appul. Apol. 410. — Luculentus est locus Cic. pro Cluent. 59. 164: quam levia genere ipso, quam falsa re, quam brevia responsu; Vell. 114. in.: o rem dictu non eminentem sed — utilitate maximam, experientia suavissimam; Plin. H. N. VII. §. 7. Sillig: parvum dictu sed immensum aestimatione. Ib. XIII. §. 57: odore jucundior, tactu resinosus. Ib. XIV. §. 28: indecora visu, sapore jucunda cf. XXVI. §. 48; XXXVI. §. 190.

C. Accedit, ut sit adjectivum cum una et altera harum vocularum in simili verborum continuatione eodem casu copulatum: Quintil. VIII. 3. 17: ipso auditu (Camp. pro *auditu* vultu) aspera — (anteced.: auditu pulchrius). — Gell. XVIII. 11. 2: dictu profatuque ipso tetrae atque insuaves. — Plin. H. N. 34. §. 11: et alio foedus adspectu; Gell. XI. 4. 2: frequenti assiduoque memoratu dignos puto. Cum his compono Pacuvii fr. 147. Ribb. Fest. p. 330. VII.: „spectu sine praepositione usus est“: *amplus*, *rubicundo colore* et *spectu protervo ferox*, quamquam is ablativus etiam alio modo potest intelligi.

§. 63. Jam commemoro ablativos substantivorum verbalium in *tus* cadentium non in supinorum, quae dicuntur, continuatione, sed simili modo sine praepositione orationis partibus esse adjuncios.

α. Comparari possunt Plin. H. N. 29. §. 90: *ut visu quoque pavorem iis afferat cum visu terribile*; Ib. 31. §. 42: *Virgo (aqua) tactu praestat — Marcia haustu cum tactu innoxium, gelidum vel frigidum haustu*; ib. 31. §. 97. (cf. §. 112; 35. §. 37.):

*potu quoque — aquae marinae vicem pensat cum potu salubre, utile.* Idem si dixit XII. §. 76: *ipsum visu aridum tactu statim mollescere, visu a tactu ratione non differre, quis est quin sentiat?* — Plin. H. N. 35. §. 176: *prodest et suspiriosis linctu i. e. cum lingunt.* Item 36. §. 133. etc. Ita *potu, suctu, olfactu, appositu, adpersu, tinctu*, alia in Plinii H. N. posita sunt. Quaedam ex his quamquam ita nobis interpretari licet, ut de abl. instrumenti, qui dicitur, cogitemus, tamen altera interpretatio praestat, nonnunquam est necessaria.

Restant duo substantivorum verbalium in casus cadentium genera admodum crebra, quorum

β. alterum tempus denotans plerumque<sup>163)</sup> cum quadam causae significatione (v. Seyffert ad Lael. p. 49.), adhiberi non solet nisi comitante genetivo nominis vel pronominis aut adjectivo. Ac reperitur quidem jam apud antiquissimos scriptores, ut Plauti Most. II. 1. 34: sicut ego adventu patris nunc quaero, quid faciam cf. Caton. Rust. 142, fragm. 37. Lion. v. Wunderum ad Cic. Planc. p. 79, Haasium ad Reisig. adn. 569, Haldium ad Caes. Civ. I. 18. —

γ. Altera sunt, quae a Rothio in supinorum numero esse reposita supra commemoravi, *jussu, accitu*, al. quibuscum conjungi solet aut adjectivum aut genetivus nominis vel pronominis. De his accuratius dicam in excursu I.

## Caput X.

### Supinum alterum utrum sit sextus an tertius casus.

§. 63. Priscian IX. 9. §. 48. Kr.: *sequens vero forma, quae in u terminat, ablativus mihi videtur ipsius nominis, quo ipsa res significatur, carens similiter praepositione. Quid enim est mirabile visu nisi visione? Hoc iis firmatur, quae §. 62. A. β., et B. attuli: adspectu spurca et odore. — dictu quam re facilius. — visuque et memoria deformes. — parvum dictu sed immensum aestimatione, aliisque v. l. c. Adde illa quae ab antiquiorum scriptorum usu videntur recedere: ipso auditu aspera; dictu profatuque ipso tetrae v. §. 62. C. His omnibus locis nonne ablativis, de quibus dubitari nequit, appositis, quid sit de alteris judicandum, intelligimus? Huc accedit, ut aliquoties de dativo ne cogitari quidem possit, velut *dignum cognitu, indignum auditu, opus est factu*<sup>165)</sup>, ablativi natura sit ea, quae ubique huic dicendi generi conveniens ne ibi quidem sit aliena, ubi tertii*

163) Non tamen semper, quod vult Beneckius ad Cic. de imp. Cn. Pomp. p. 158, cf., ut unum afferam Plinii H. N. 25. §. 90: *florent adventu hirundinum, discessu marcescunt.*

164) Raro sola ponuntur ut Tac. Ann. XII. 39: *jussu* et aliquando ignaris ducibus cf. XV. 38, Hirt. Afr. 61: *injussu* ac temere progressi Sic Tertull. de Bapt. X. *mandatu*; loco incerti auct. ap. Petron. 66: *arbitratu*. *Injussu* saepe apud Livium II. 43. 9. (al. i—i) 41. 11; 45. 8. (alii: i—us) III. 63. 5; VII. 12, 12; X. 4, 9; 38. 3; IV. 29. 5; 32. 11; V. 19. 9; VII. 12, 12; XXII. 8. 3; XL. 35. 7. —

165) Neque enim assentior Luebbero de usu infinitivi Plautini, gesammelte Schriften. p. 140.

casus ratio facilius videatur, velut *utile cognitu, inutile factu, commodum auditu, dictu facile* cf. Roth. ad Tac. Agr. p. 166, (Exc. XII. 6.) qui affert *amicitia facilis, bello facilis*. Quamquam praeter Prisciani auctoritatem nihil obstat, quin dativum post aliquot certe adjectiva in hoc dicendi genere esse positum existimemus. Eum nunquam manifestum facit plenior terminatio, ut Plin. H. N. VI. §. 203: *potui jucunda*; ib. VIII. §. 97: *visui saluberrimam* (idem XXV. §. 157: *odore non ingratus*; XXXI. §. 79. *saporem dixit*.) Plauti Bacch. I. 1. 28: *istaec lepida sunt memoratui*. Cujus loci ratione habita si quis in Gellii XVI. 18. cap. inser. *lepida memoratu* et Plauti Cist. II. 1. 15. *miserum memoratu tu* ex *tui* esse contractum dixerit, non intercedam, dictu necessarium esse negabo. Liviano quidem loco 45, 30, 2: *adeo quanta Macedonia esset, quam divisui facilis — Macedones quoque ignorabant*<sup>166</sup>); eundem casum similibus locis vindicari non arbitror. Videtur enim fuisse vocabulum illud monoptoton idque Livio consuetum, qui I. 54, 9 dixerit: *absentiumque bona divisui fuere*, et XXXIII. 46, 8: *praedae ac divisui principum quibusdam — erant*<sup>167</sup>) Ceterum uno illo loco Livii plenior forma, qua dativus denotatur, quinquaginta fere locis — toties enim supinum alterum apud eum scriptorem invenitur, — terminatio *u* in omnibus, quantum scio, libris scripta est, praeterquam quod in minoris momenti libro Loveliano I. XXI. 33. 8. *fordum visui* est, quod nemo recepit. — Jam illo loco si Kritzius utitur, ut Sall. Jug. 92. 7: *nobis aditu difficilis*, aditu esse dandi casum demonstrat, oppono alterum Livianum supra allatum: *dictu quam re est facilius*; Pliniano H. N. XXIII. §. 151: *fructum — difficilem concoctioni*<sup>168</sup>) (cf. *difficiles concoctu* ib. §. 147.). Quintilianum XII. 1. 45: quomodo autem *probatione difficilia* tractentur, cf. Spalding. Utrum igitur casum his locis similibusque ut Sall. Jug. 94. 2: *dubia nisu*, ubi v. Dietsch. statueris, perinde erit. Uterque enim ratione et usu potest defendi.

§. 64. Sed quod dicit Maximilianus Schmidius<sup>169</sup>), extremae aetatis quosdam antiqui sermonis affectatores, ut Appulejum dativos et revocasse et pleniore insignivisse terminatione, id si verum esset, non magni momenti fore Haasius in adnot. ad Reisig. p. 779. ostendit; at non est verum. Affertur quidem locus jam a Saturnio et Ruddimanno II. p. 260. indicatus Appul. Apol. 439: *Prorsus ad vivendum, velut ad natandum, is melior, qui onere liberior. Sunt enim similiter etiam in ista vitae humanae tempestate levia sustentatui, gravia demersui*. Sed perperam is locus intellectus est. Etenim *sustentatui, demersui sunt* praedicatorum, quae dicunt, vices sustinent in enunciatione, cujus subjecta, quae vocantur, *gravia et levia* sunt; dixitque Appulejus, ut *laniatui sunt pro laniantur* Valer. Max., vel *relictui sunt pro relinquuntur* Gellius, vel *quantum denotatui sunt pro denotantur* Tertullianus. — Aliquo quidem jure alterum locum afferre poterat: Appul. Metam. I. 5. p. 31: *quod unctui, quod tersui ipse praeministro*, siquidem quod in quibusdam libris est *tersui opus est* probaretur. Sed recte Salmasius atque Oudendorpius et libros Flor. Venet.

166) Crevier, quod initio proposuerat: *divisu*, postea ipse repudiavit.

167) cf. Gell. XX. 1. 40.

168) Adde Plin. H. N. XVII. §. 165: *pampinationi quoque et occationi facilius*. (vineae).

169) Ueber den Infinitiv. Ratibor 1826. §. 28: quam commentationem non novi nisi his, quae Reisigius affert l. c. p. 778.

Bertin. et usum dicendi scriptoris secuti<sup>170)</sup> *opus est deleverunt*. — Unus locus restat Met. II. 36<sup>171)</sup>: *quae sunt usui necessaria*. Sed ne hoc quidem Schmidtii sententia firmatur, nam et ipse Appulejus *scitu necessaria* dixit et adjectivum illud cum dativo substantivorum verbalium haud raro jungitur, ut Frontini strat. III. 5. 1; omnia victui necessaria. — Nec hoc concedi potest, dativi exitum pleniorem quasi redintegratum esse ab eo scriptore, qui saepius quam alii terminationem illam in  $\bar{u}$  contraxerit, cf. Oudendorp. ad Met. I. 3. p. 23. Id quidem Appulejo ut Tertulliano hoc in genere proprium est, quod dativum non raro insolito modo posuit, verbis aut additis aut supplendis. Sed de hoc loco exponam in excursu II.

### Caput XI.

#### Supina in $\bar{t}\bar{u}$ exeuntia afferuntur.

Haec eodem, quo priora §. 16 sq. ordine sequuntur. Quibus notam apposuero, ea aut scriptura incerta niti, id quod quovis loco commemorabo, aut in ambiguum illorum, de quibus dixi §. 60.  $\gamma$ ., numero esse indicatum volo.

§. 65. Supina primae conjugationis, quam vocant, verbis orta et primum, quidem verbis.

##### 1) Activae formae.

Cubitu surgere Cato R. 5.

datu *probum honestumque* Fronton. epist. ad amic. I. 5. 5. Nieb. p. 190.

dicare: dedicatu: sermonem et vobis auditu gratissimum et mihi compositu congruentem et dedicatu *religiosum* Appul. Flor. IV. 18. fin. p. 92. Sic restituit locum Lipsius scripsitque Oudendorpius.

existimatu facile Liv. 23. 15. 11.

\**flatu* Plin. H. N. XVII. 22. 35. §. 194: nec f. *infesta* regio (sit).

perflatu Ib. XVII. 11. 15. §. 78: quincuncialis ordinum ratio, — non p. modo *utilis* verum et adspectu grata.

gestatu Ib. XIII. 22. 42. §. 123: g. *facilis* baculorum usum senectuti praebet.

170) Saepe enim apud Appul. in ejusmodi substantivorum verbalium dativos e verbis pendentes incidimus, ut sit hoc quoque loco *est* supplendum. cf. Apol. 408: nam petisse eum aliquid *tersui* dentium; Met. I. 17. p. 72: ex promptuario oleum *unctui* et *lintea tersui* et cetera huic eidem usui profer.; Apol. 496: mundissima *lini* seges, — non modo *inductui* et *amictui* — sacerdotibus, sed *opertui* quoque rebus sacris usurpatur. Met. I. 18. p. 73: ut aliquid nobis *cibatu* prospicerem cf. IX. 179. — Ib. IV. 71: parvisque *respiratu* circa nares datis foraminibus; Ib. IX. 192: *refectui* que secure redditus, cf. VI. 115, XI. 239; *refectui* conquiescere VIII. 166. (in altero Flor. *refectu*) cf. ib. VII. 139, Flor. III. 16. Interdum his vocalis addita sunt adjectiva, ut Met. IX. 178: ut aquae recentis completam pelvem offerrent *potui meo* cf. IV. 63. Apol. 411.

171) Minoris momenti sunt Met. IX. 181: *aptum usui* possim dinoscere. Nusquam enim aptam cum supino est junctum. — Ib. V. 90. pronomen additum est: instrumentum — *refectui suo commodum*.



- gustatu *fervens* ib. XXV. 11. 86. §. 135; *peracerba* (uva) Cic. Cato XV. 53; *salsus* Plin. h. n. XXXVI. 17. 28. §. 132 (gustu al.).
- iteratu *ridiculum* Plauti Cas. V. 2. 6.
- \* laborare: *elaboratu* Appul. v. infra: *cultu visendus*.
- memoratu *vix credibile* Tac. hist. II. 73; *incredibile* Sall. Cat. 6 et 7. Jug. 40, Cortius affert Sulpic. Sever. I. 13 cf. Heindorf. ad Cic. N. D. II. 60 p. 125. — *Dignum*: Liv. 4, 43, 1; 38, 29, 3; (haud) dignum 25, 1, 5; Val. Max. I. in., VIII. 11. in. Plin. h. n. II. 108, 112. §. 247; III. 1, 3. §. 7 et 10, 15. §. 95; VI. 23, 26, §. 97; XV. 30, 40, §. 136; XXI. 12, 43, §. 73; XXXI. 2, 3, §. 6, Tac. Agr. 1, hist. 2, 24; Appul. de mundo 713 p. 298, Capitol. Macr. 1, Gord. 21, Lamprid. Diad. 6, Heliog. 18, Aurel. Vict. Ep. 20; Macr. Sat. I. in., 3. — *Indignum* Gell. 19, 11, 3. Capitol. Macr. 1. — *Infandum* Appul. Met. X. 221, p. 706, *Lepida* m. inscripta sunt Gellii 16, 18 (l. sunt memoratui Plauti Bacch. I. 1, 28). — *Parva et levia* memoratu Tac. Ann. 4, 32. — *Haud magna* m. res est Liv. 38, 29, 3; (mem. omitt. al.) *miserum* m. Plauti Cist. II. 1. 15.
- migratu *difficilia* Liv. X. 34, 12.
- mutatu *facile* Tac. hist. II. 63, Ann. XIV. 23.
- narrare: enarratu *difficiliora* Plin. h. n. II. 93, 95, §. 206.
- notatu *facill.* Plin. h. n. XVIII. 25, 60, §. 225.
- adnotatu *dignum* Val. Max. I. 5, 9. IX. 12 ext. 1.
- nunciare: pronuntiatu vox *lenior* Gell. 15. 3.
- obsonatu *redire* Plauti Cas. 3, 5, 66, Men. II. 2. 5 et 14.
- \* occupatu: duarum cohortium hiberna proxima occupatu Oceano irrumpit Tac. hist. IV. 15. Sic probabili Lipsii emend. scrib.
- patrare impetratu *jucundum* Fronto ad amic. II. 9, 6. Nieb. p. 217.
- portatu *faciles* (vites) Plin. h. n. XIV. 17, 21, §. 115, *mire gravia* Ib. XXIII. 7, 62. §. 116.
- postulatu *probum honestumque* Fronto ep. ad am. I. 5, 5. Nieb. p. 190.
- potu *deterriam* — aquam Gell. 19, 5, 5; *dulcia* id. 10, 23, 2. — \*efficax cibo et potu Plin. H. N. XXII. §. 51. — inlitu potu que efficax. Ib. XXIV. §. 130. *Fetifer* p. Nilus Ib. VII. 3, 3, §. 33. *Insalubris* Ib. XXXVI. 26. 63, §. 190, Curt. VII. 10. In inscr. Gell. 19, 5 script. est: quod nivis aqua potui *pessima* sit. *Pestifer* (sanguis) Plin. H. N. XI. 28, 90, §. 222 cf. *potu*. — *Suaviss.* ib. XIX. 11, 59. §. 182. *Utiliss.* Ib. XXXII. 8, 29. §. 91.
- probatu *difficile* Cic. Tusc. V. 1. 1.
- purgatu *facilia* Plin. h. n. XXVII. 11, 71. §. 95.
- expurgatu *facile* Ter. Hec. II. 3, 4.
- \* *significatu* Appul. Flor. III. 17: *buccina* s. *longinquior* (ante: *fistula susurru jucundior*)<sup>172)</sup>.
- \* *sonitu insuave* Gell. 13, 21 (20), 25.
- toleratu *acerbum* Appul. de dogm. Pl. II. 618 p. 250. — *Difficile* Cic. Fin. IV. 19. 52. — *Dura* Seneca dial. I. *quare* — *cum provid. sit.* VI. 6. — *gravia* Id. dial. 2 ad Serenum, 15, 3. — *Indignum* Macr. Sat. VII. 5, 1.

172) *servatu* Hildebrandus l. c. falso affert cf. Cic. de off. I. 8.

*tractatu asperum* Quint. VIII. Pro. 2. Plin. h. n. XVII. 7, 4. §. 43 (al. tractu, tactu). *Diffic.* auct. ad Her. II. 8, 12, Liv. VII. 21, 7. Plin. H. N. XXIII. 1, 19, 31. *Dignum* Tac. de or. 16. Macr. Sat. 17, 13, 2. *Dura* Liv. 35, 32, 13. — *Pro levique tractatu* Plin. H. N. XVI. §. 174, Dalec.: laevesque t. *vitatu melius* Horat. Sat. I. 4. 115.

2. *A verbis deponentibus ducta.*

\* *Conatu.* Id inceptum conatu quam effectu *gravius* fuit Liv. 38, 5, 9; opus *forte* c. Vell. II. 112.  
*fatu haud mollia* Verg. Aen. XII. 25.  
*affatu non familiaris* Arnob. I. 63. *Terribilem a.* passus visuque tyrannum Stat. silv. III. 3, 72, nisi *a.* et *visu* referre mavis ad *passus*. De Gelliano: profatu ipso *tetrae* cf. §. 62. C.  
*imitatu ardua* Val. Max. IV. 6 in.  
*miratu dign.* Senec. Ep. 94, 56, Plin. H. N. X. 29, 43. §. 81. — *paria vel majora* m. Ib. XX. 1. §. 2. Sic cum T. Silligius, Bip.: *mira*, Dalec.: *miraculo* etc.  
*moderatu diffic.* Liv. 4, 27, 9.  
\* *modulatu.* Loco mutilato Fronton. princ. hist. 9, 7. Nieb. p. 253: (*concen*) *tibus et modis absonum quid modulatu et cantu cecinerim.* Sed praestat m. et c. arte conjungere cum *cecinerim*.  
*opinatu parva* Plin. h. n. XXIX. 1, 8, 26.  
*precatu: blandamque* p. Antigonem timeo Statii Theb. XI, 105 cf. Horatii Epist. II. 1, 135: *docta prece blandus*.  
*venatu redeo* Statii Ach. I. 119.

§. 66. *Secundae conjugationis sup.*

1.

*Fletu nil opus est.* Tibull. IV. 4, 17.  
*fotu saluberrimum* Plin. h. n. XVIII. 1, 27. §. 55 (potu  $\Theta$  v et Murbac.) — *utiliss.* Ib. XXVI. 8, 29. §. 46.  
*habitu optimum* Plauti Poen. I. 2, 29. — De Plauti Stich. I. 2, 2. *servus is h.* *haud probus est* cf. §. 60  $\gamma$ . — \* *paupertas* — *habitu secura* Appul. Apol. 433.  
*monitu utilia* cf. *suasu*.  
*motu: nihil ornatus ad aspectu motuque constantius* Cic. N. D. 3, 9, 23. — *motu gravis, aspera tactu* Lucr. VI. 1148.  
*responsu brevia* Cic. pro Cluent. 59, 164. *Facile* macr. Sat. VII. 2, 3.  
*suasu: quae utilia monitu suasuque erant* Gell. II. 29, 1.  
*persuasu facile* Macr. Sat. VII. 9, 9.  
*visu nefas* Ovid. Fast. II. 709. Adjectiva: *acria* v. Lucr. IV. 409. *Allissima* Verg. Aen. VIII. 234. *Atrox* Nazar. laud. Const. 22. *Deformis* Ovid. A. A. III. 217, Tac. Ann. I. 61. — *Facilia* Sall. Jug. 98 fin., Verg. Aen. III. 621, Plin. h. n. XVIII. 29, 69, 280. *Ferum* Sil. I. 174. — *Foedum* Cic. Phil. II. 25 fin. Liv.

XXI. 32, 7; 33, 8, Juven. XIV. 44. Plin. H. N. VIII. 45, 70. §. 179. \* *Oculis* — *visu gravibus* Hemsterhusius conjecit pro vulg.: *visu gravidis* Rutil. Lup. de fig. II. 7. (Ruhnk: visco gravidis) *horrendus* Verg. Aen. IX. 521, Sil. Ital. I. 353. *Indecora* Plin. H. XIV. 2, 4. §. 28. *Ingens* Tac. Ann. I. 58. *Ingrata* Plin. H. N. XXXII. 4, 14. §. 39. *Insignis* Plin. H. N. II. 41, §. 110. *Mirabile* Varro Atac. fr. 8 ap. Wernsd. V. 3, 1410, Horat. Epist. II. 2, 91. Liv. I. 39, 1. Ovid. Fast. III. 31 et semel in Metam. *Miserabile* Verg. Aen. I. 111, IX. 465. Ovid. Met. XIII. 422. Petron. in vers. c. 123. *Nefaria* res Cic. Planc. 41 fin. *Nova*: Tac. Germ. 31<sup>173</sup>). *Praedira* (dictu visuque) Ammian. Marcell. 31, 8, 7. — *Prompta* Appul. Apolog. 410 p. 394. — *Pulcher* Statii Silv. V. 2, 23. *Rara* Plin. H. N. XXI. 16, 56. §. 96. — *Refugienda* Senec. Dial. II. ad Seren. XV. 3. — *Rudia* Appul. Met. I. 3, p. 18. — *Simplex* Macr. Sat. VII. 16, 4. — *Haud solitum* visu Statii Theb. IX. 645. *Terribiles* Verg. Aen. VI. 277, Statii silv. III. 3, 72, Plinii Paneg. 48, 4. — *Torvum* Tac. Ann. II. 14, cf. adn. 173. *Truculentus* Tac. Hist. IV. 22. *Venerabilis* Tac. Ann. II. 72.

## 2.

\* *Intuitu*. Plin. H. N. XVI. 10, 19. §. 48, Silligius edidit: abies — *hilarior* in totum. — K.: h. intuitu, quam scripturam recepit Hudemannus in thes. Klotz. v.

## §. 67. Tertiae conjugationis sup.

## 1.

Actu<sup>174</sup>): in proeliis a. *promptus* Sall. fr. inc. 70 ap. Donat. ad. Eun. IV. 7, 14. adactu *aspera* Lucr. VI. 778 Lachm. emend. pro *tactu*.

\* *cantu* v. supra \* *modulatu*.

\* *concentu* lyra c. variatior Appul. flor. III. 17.

captu *facile* Macr. Sat. III. 15 (II. 11) 7.

— inceptu *foedum* Livii Praef. §. 10, *humanum* Terent. Andr. I. 5, 1; *turpe* ib. IV. 4, 16.

perceptu *difficile* Macr. Sat. I. Praef. 11 (praeceptu A. B. G.)

cedere: accessu *facilis* Arnob. I. 83.

\* *concessu ambitio* (*sum*) Fronton. ep. ad amic. II. 9, 6. Nieb. p. 217.

coquere: concoctu *difficiles* (nuges) Plin. H. N. XXIII. 8, 77, §. 147.

cultu: \* *gens dura* atque *aspera* cultu Verg. Aen. V. 730, i. q. vita. Solum — *arduum opere*, *difficile* c. Plin. H. N. XVII. 4, 3. §. 28 (d — i ad.). *Regio dura* c.

Liv. 45, 30, 7. *Horrida* Ovid. Am. III. 6, 47. *Optimus* Plauti mil. II. 1, 23.

\* *cultu virides juvenesque* (arbores) Plin. H. N. XVII. 1, 1, 5. \* (*castella*) — *cultu magnifica* Ib. 33. §. 121. \* c. *simplex* Appul. Apol. 433. — \* *Venit* Hippias — non minus *cultu visendus* quam *elaboratu mirandus* Appul. Flor. III. 17.

173) Hanc veterem scripturam a Walthero defensam receperunt, ut alios omittam, J. Bekker. 1831 et Haasius 1856. — Bernegger: visu torva, quod in locum recep. Bip. Oberlin. aliique.

174) Liv. 22, 40 in quibusdam libris *facilia actu pro factu*.

currere: occursum — visuque *terribilis* Plinii Paneg. 48. 4. — *gravis* Juven. VI. 418. defensu *facile* Sall. fr. inc. 224. Charis. p. 176.

